Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1755
Quelle:
Copyright:

nita ſunt Capitula de correctione ſpiritualis ordinis. Anno (14)40. poſt quam duae lineae eraſae ſuſpicionem movere poſſent, oborta jam de Autore Opuſculi lite nomen *Thomae a Kempis* inde ſublatum fuiſſe.

Fol. 164. praemiſſo Capitum XXXVIII. Indiculo *Incipit Opuſculum fratris dauid.* Nempe *Formula prior Novitiorum* pii hujus e *Franciſcana* Familia Viri *Teutonis Auguſtani*, de quo jam alias in hiſce Commentariis dixi. Ejus initium eſt: *Deſideraſti amice kariſſime, ut aliquid ſcriberem tibi* &c. ut in *Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. ubi p. 869. longe uberior extat haec *Formula*, quam quidam tanti fecerunt, ut *Bonaventurae* tribuerent. Additur ibidem, *Amicum* illum *Bertholdum* fuiſſe clari pariter inter ſuos nominis.

A *fol.* 206. alia quaedam Documenta brevia aſcetica ſequuntur.

DCCXXX.

R. 3353 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 104. 12. probe ſcriptus, et priore quidem parte luculentius, rubroque diſtinctus eandem primum *Regulam* exhibet, quam dein etiam, ſed absque omni Titulo *Formula Novitiorum F. Davidis de Auguſta* comitatur Exemplo ſuperiore nihilo plenior.

DCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3323 XIV. Folior. 54. 4. charactere luculento craſſo bene perſcriptus et minio diſtinctus Ordinationes et Reformationes pro bono Regimine Monachorum nigrorum Ordinis S. *Benedicti* continet, quae ἀνεπιγραφως incipiunt: *Benedictus epiſcopus ſeruus ſeruorum dei ad perpetuam rei memoriam. Summi magiſtri dignatio nos quamquam immeritos* &c. Eſt is *Benedictus* XII. P. M. dictus ante *Jacobus Fornerius*, qui *Avenione* ſedit ab a. 1334. ad a. 1342. et haec Statuta dedit, ut in calce legitur: *XII°. kal. Julij Pontificatus noſtri anno ſecundo* (id eſt, 20. *Jun.* 1336.) Additur in Codice Ccccccc. Lij. quod non extrico, niſi fortaſſe Miniator deſcriptionis annum 1352. exprimere voluerit. Extant illa *Bullarii Cocqueliniani* T. III. P. 2. *Romae* 1741. p. 214. f. diviſa in XXXIX. Capita. Totidem cenſent in Codice, transpoſitis tamen C. 30. et 31. Rubricis quandoque variantibus, quandoque omiſſis. Ad Rubr. C. 19. *Ne mulieres habitent in locis monachorum*, Exclamatio in margine: *Quod abſit!*

DCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3337 XII. Folior. 99. 4. luculente et pereleganter, atque, ut vult Scheda inſerta, per *Luitholdum* monachum *Lunaelacenſem* celebrem

καλ-